

De Trituratione, et Lauigatione. Cap. XX.

VE MADMODVM Decoctio varia affert
 commoda in medicaminum præpara-
 tione, sicut Capite antecedenti demon-
 strauimus: ita & Attritus, siue Tritura-
 tio non paucas vtilitates illis impertiri potest; maxi-
 mè cum Mes. in Can. capite de Trituratione, nos
 doceat triplicem Attritus esse necessitatem: Aut est,
 vt medicamenta meliùs in vnum misceantur: Aut,
 vt à medicinis illis aliqua proprietas acquiratur:
 Aut, vt earum aliqua mala qualitas deprimatur. Sed
 inter has omnes præcipuam arbitror ego esse pri-
 mam: nam Trituratione quodlibet minimum ali-
 cuius Simplicis minimum alterius tangit, & inalte-
 rat, à quorum perfecto contactu mixtio ab arte pen-
 dens confurgit. Sed his addere debemus, narrante
 Galeno varijs in locis, medicamenta trita faciliùs,
 & citiùs corpora permeare; quod ab ipsis integris
 deuoratis minimè euenire posse, certissimum est.
 Sunt autem à Pharmacopœis varia memoria custo-
 dienda, vt accommodata, & conueniens fiat At-
 tritio; hæc sunt triturabilium Natura, trituratio-
 nis Terminus, triturandi Modus; & Instrumenta,
 quib. talis facienda sit operatio, vt perfecta euadat.
 Multiformes Simplicium naturæ, quæ trituran-
 da veniunt, varium re vera expostulant Attritum,
 quod litteris mandauit Mes. demonstrans illa etiã,
 quæ eiusdem exstant essentiæ, & speciei, diuersa se-
 cundum

Quot ad tri-
 turatione.

cundum magnitudinem, & paruitatem, & raritatem, & densitatem variam requirere Triturationem, & longiorem, & breuiorem; cuius verba sunt hæc: *Multa quidem crassis Trituratio conuenit, ut Scammonio crasso; pauca tenuibus, & texture debilis, & virtute citò exhalabili præditis, ut Scammonio Antiocheno; mediocris denique amborum medijs. Et quantò medicamenti essentia est crassior, tantò longiori tritura indiget. Dat exemplum cap. de Rhabarbaro, quod si legitimum fuerit, & integrum, teri potest viribus integris; at si laxius, & rarius, vehemens contritio virtutem resoluit. Metalla ideo omnia, lapidea, atque terrestria decreuit Galenus diutius esse triturlanda & læuiganda: & quæcumque substantia dura, densa, viscida, & crassa insignita sint, ut i. Simpl. facul. c. i i. ait.*

At videor audire nonnullos aduersus Mes. sententiam affirmantes, ut quotidiana experientia demonstrat, non pauca leuia, rara, & debili texture longam requirere Triturationem, ac vehementem, ut Colocynthis, Sericum, Spongia, Lana, quidam flores, & herbæ, & pili. His paucis dicemus, propositam Mes. sententiam ut plurimum, & pro maiori parte veram esse, at in quibusdam omninò falsam: aliqua enim ob eorum naturam minimè pistillis resistentem, sed potius cedentem, difficile (ut iam dicta) conteruntur. Sic & quæcumque in se aliquem lentorem habent, ut Succis, & Resinæ, nisi admodum exsiccatæ fuerint; sic & Gummi omnia, quæ si non arida, in placentiam abeunt, & mortarijs, ac vectibus adhærent. Præterea, & quæ fibris varijs inter-

I 2 texun-

Metalla 16-
ga egēt Tri-
turatione.ob
1603201

1603201

1603201

1603201

1603201

1603201

texuntur, vt Agaricus, quæ vt facilè comminuantur, in frustula secanda erunt, & minutim incidenda; sicuti & prima illa iam dicta, quæ postea cum alijs crassiusculè contusis, terenda veniunt, vt si a liquid viscidis, & humidi contineant, à iam tritis exsiccentur, & vnà cum illis defringantur. Fibræ igitur, quæ secundum longitudinem, aut latitudinem compositionem alicuius Simplicis ingrediuntur, sunt in causa, vt etiam si sint minus dura, ac densa quibusdam, difficiliùs terantur, vt Casia scilicet lignea, & lignum Aloes; hoc enim facillimè minuitur, illa verò egrè, & difficilè; cum tuniculæ quædã fibrosæ eam totam texant.

Ordo varia terendi.

Si variæ igitur sint naturæ triturbilium, quæ aliquod Pharmacum in sui compositione admittat, non erit alienum à ratione varijs in temporibus contere, ne id quod tenuius, ante durioris triturationem dissipetur, & in auras abeat: Quorum tamen aliqua interdum solitaria comminuuntur; deinde ceteris admiscuntur. Primò itaque dura, densa, & crassa contere inchoandum est, vt Radices, Ligna, Cortices, substantia quadam veluti ossea prædita, & omnia adstringentia: cū hæc crassiusculè contusa fuerint, illis iniiciantur, quæ pistillis non resistunt, sed potiùs cedunt, siue sint flores, siue fructus, siue herbæ; postea semina, & paulò post folia, atque herbæ: Ab his succi densari, si aridi fuerint, & resinæ, & gummi, priùs in partes disrupta hæc omnia; alia enim trita prohibent, ne iterum adhæreant: Deinde flores, & tandem semina oleaginosa,

ginosa, vt Cucurbitæ, cortice tamen priuata. At si inter radices, aut semina, aut flores, aut cortices, & ligna, aliquod fuerit facilè dissolubile, atque euaporabile, post omnia teratur: Vel si vigorosum odorem spirantia, vt Moschus, Ambra, & Caphura, per se sola comminuantur, vel aliqua cum portioncula iam tritorum, & postea cum alijs diligentissimè confundantur. Aliqui ferè semper in suis compositionibus singula per se terunt, inter quos est Oribas. 3. Synop. Interdum etiam Haly 10. lib. c. 3. solitariè iubet terere multa Soranus, referente Galeno lib. 1. de comp. per loc. c. 5. cuius verba: *Singula per se contundito, & per cribrum arctius excutito, deinde misceto.* Quod fortè in summè odoratis seruandum venit; vel in nonnullis medicamentis purgantibus; vel summè calefacientibus, ne aliqua eorum pars incontusa manens interturbet, & vitiet totum medicamentum; vel in illis, quæ omni minima trituratione in pollinem volatilem abeunt; vel in illis interdum, quæ viscida, & lenta existunt. Terit solitarium, postquam minutissimè fuerit incisum Auic. Sericum, lib. 5. S. 1. T. 1. sic & Scammonium, & Crocum, vt ibid. Caphura fit super aliquod durum prius contusa, & in fine addatur. Haly 10. Pract. Sic & Ambra, & Moschus, cap. 20. quod confirmat Rhaf. in suo Antid. Vel cū iam tritis læuigetur, & maximè cum Saccharo. Imperat per se terendas esse Amygdalas Serap. in suo Antid. Solæ et læuigentur Margaritæ, iubete Auic. loco supradicti. Sic & omnes lapilli preciosi, de quibus cap. de Lapidibus

Quæ solitariè terenda.

Sericum solum terendum.

Ambra, & Moschus sola.

Margaritæ solæ.

pidibus egimus, qui tandem ceteris iam tritis addantur, ut Ser. c. 33. Nonnulla quoque à Gal. lib. 1. de Antid. cap. 15. sola comminuebantur, quia de Thure hæc: *Thus quoque per se solum in mortario seorsum leuiter terere satius est, ne in placentam coeat.* At pauca re vera per se sola iubebat ille terere, sicut ad apertè legitur eodem loco, dum modum præparandi Theriacam ante oculos ponit; immò multa eodem tempore, scilicet Fructus, Semina, Radices & Herbas, in mortarijs *Ægyptijs* terere imperat; quibus deinde addit Pastillos, Cinnamomum, Crocum, Acaciam, dummodo humida non existat, Piper nigrum, & longum, Rosas siccas, Agaricum, Terram Lemniam, Chalcitidem adustam, Amomum, Casiam, Balsami fructus, Castorium, denique & Asphaltum: Inter quæ re uera aliqua reponuntur, quæ facilè teri possunt, & aliqua difficilè: attamen debemus eius mandatis omnino acquiescere: & pro firmo habere, non sine aliqua maxima utilitate medicamenti hoc fecisse: *Aliqua enim eorum, quæ longam videntur posse ferre, ac vehementem triturationem, cum densa existant, atque viscida, illam minimè sustinere possunt, ut Viperæ Trochisci; nam caro viperarum longo attritu, si ab initio injecti fuerint, destruetur, cum iam in conficiendis illis diligenter decocta, & læuigata fuerit.* Præterea non est cogitandum Galenum statuisse perpetuò omnia simul esse comminuenda, usquequo singula sint in tenuissimum puluerem redacta; sed sæpè, atque sæpè cribro tenui, vel tenuissimo esse traicienda,

cienda, aliter impossibile eſſet, quæ poſtremò, ac tandem adiunguntur alijs, perfectè comminui; ab illis enim iam tritis attritus impeditur eorum; nam piſtillorum iſtus vix ad ipſa peruenit, vellanguidè illa tangit. Si igitur neceſſe eſt ad perfectè omnia triturlanda, vti incerniculo iterum, atque iterum, procul omni dubio illa, quæ faciliùs teruntur ob tenuem, raramque eorum naturam, prima erunt trita: vnde aliquam eorum virium iacturam non patientur: Quæ verò difficiliùs, poſt illa ad vnguem etiam læuigata transmittentur. Simul etiam multa triturlanda eſſe, & quā tenui cribro traijcienda decreuit ille lib. 4. de ſanit. tuen. cap. 7. & 5. dum omnia enim ſimul comminuuntur inter ſe calore à piſtillis excitato inalterantur, & per optimè miſcentur.

Terminus Triturationis multiplex exiſtit, pro diuerſitate non ſolùm triturabilium, ſed præcipuè operationum, quæ à Medicis deſiderantur; quoniam ſi medicamenta in altum corporis ſe conferre cupiunt Medici, ſubtiliſſimè terenda erunt; ſi in ventriculo permanere, craſſiori modo, ſecundum Galeni præceptum lib. 1. de Antid. c. 7. & 4. de ſanit. tuen. vbi ſic, dum de Diacalamintho: *Omnia ſimul tundenda, & quā tenui cribro cribranda, vt in totum corpus digerantur. Veluti è diuerſo craſſiora in ventriculo hærent, vt quæ anguſta venarum ora transire nequeunt.* Et huius quidem præcepti in omnium medicamentorum compoſitione meminiffe expedit. Attamen lib. 1. Med. facult. c. 11. hæc leguntur: *Nam quod pollinis*

Terminus
triturationis
incer-
tus.

Terminus
triturationis
incer-
tus.

Terminus
triturationis
incer-
tus.

Terminus
triturationis
incer-
tus.

Terminus
triturationis
incer-
tus.

Terminus
triturationis
incer-
tus.

Terminus
triturationis
incer-
tus.

Terminus
triturationis
incer-
tus.

pollinis instar tenue cuti inspergitur, excalefacit, maximè si affricueris; at quod solidum, & integrum linguae, & ventri exiguum dumtaxat caliditatis sensum mouet. A cuius diētis cognosceret licet, subtilissimè trita ventrem magis excalefacere, quàm si crassiusculè comminuta fuerint. Et 4. de sanit. tuen. Ciminum perfectè tritum effici vreticum scribitur, quod prius erat deiectorium. Crasso igitur modo aliqua contusa effectus omnino contrarios producunt ab illis, cum integrè attrita fuerint, ac læuigata.

Læuigatio
quid.

Quæ subtilissimè terenda.

Purgantia
læuiganda.

Læuigationem autem dicemus illam Triturationis speciem, in qua ita ad minima reducuntur Simplicia, vt sub digitis, vel inter labra tenella posita nihil asperi, aut inæqualis afferant sensui tactus: de hac sæpe mentionem fecit Gal. vt 3. per genera c. 2. vbi de Pharmacis ex herbis sic: *At radices, & herbas totas non solum scire oportet accuratè contusas tenuibus cribris secernere, sed etiam denuò exactè læuigare, vt arida Collyria. Peroptimè in puluerem redigantur omnia adstringentia, vt faciliùs corpora subeant, veluti 2. per gen. c. 10. Multi omnia purgantia læuiganda esse decernunt, vt Haly lib. 10. cap. 10. qui Turpethum, Myrobalanos, Agaricum, Scammonium, Carthamum, Polypodium, Epithymum, & Colocynthidem terere iubet, & subtili cribro, aut panno trajcere. sic Mes. Colocynthidis medullam statuit, quantum tenuissimè potest fieri, tritendam, ne ventriculi tunicis adhæreat. Inueniuntur tamen non pauci, qui arbitrantur omnia purgantia crassiusculè terenda esse, vt in ventriculo diutiùs*

ta ad vrinæ ductus interdum materiam lædentem transferre, cuius verba in Cano. sunt: *Nam purgatoria acria interdum tenuissimè puluerata promptius per ora vasorum penetrant in partes urinarias, & alias remotiores, per easq. euacuant.* Quæ denotant non omnia purgantia ad tales partes peruenire, & illa non semper, sed interdum, immò & ad remotiores, qua operatione sæpe, atque sæpe indigemus, cum aut artus materia aliqua repletos mundare studemus, aut caput dolore vexatum. Sileant igitur, qui audaciter affirmant purgantia crassiusculè terenda esse. Multa adhæc, quoniam diuturnum, ac longum tempus ad ipsa minuenda requirunt, mola læuigantur, & in farinam transeunt, talia sunt Hordeum, Triticum, Faba, Lens, Lolium, Fænugræcum, Lini semen, Milium, Lupini, Panicum, Eruum, Orobus, & Cicer, quæ Recentiores farinas dicunt, de quibus omnibus mentionem fecit Gal. varijs in locis, vt lib. 9. de Comp. secundum loc. cap. 3. quo scribitur ex Critone Fænugræcum, & Eruum molitum.

Mola quæ
læuiganda.

Modus Triturandi profectò non est me iudice contemnendus; magni enim est momenti aliqua placidè, & sine vehementia contundere, & nonnulla robusto, ac frequenti brachio conterere. *Non est tamen ignorandum, Me sue teste omnem Triturationem cō facilitate faciendam esse, & pro terendorum substantiæ ratione; quæ enim est immodica, eorum resoluit virtutem.* Ideo quæcumque densa, dura, crassa, ac lenta existunt, diu & vigorosè triturlanda: quæ tenuia, breui tempore, & sine aliqua violentia. quod reliquit scriptum

Trituratio
cum facilitate
facienda.

scriptum Galenus sic I. de Simpl. Med. facult. c. III. Itaque cum tenuium esse partium dicantur, quæ facile in tenues partes comminuuntur; crassarum verò partium, quæ contrà: Tum dura, viscosa ægrè, & difficulter, ac omnino in tenues minui non possunt; fragilia verò, & quæ intra viscositatem mollia sunt, promptè in tenues solvuntur. At in aromatū Trituratione, quæ densa, vel lentore quodam, ac fibris prædita existunt, accurata est utendum diligentia, ne dissipentur, & eorum maxima portio exhalet. Ad quod evitandum aliqui interdum aut vino aromatico, aut stillatio rosarum leuiter irrorant: minùs vehementer, & breuiùs folia, femina, & flores, quàm radices, nonnullis exceptis, de quibus infrà. Omnia summè odorata, ut Moschus, Ambra, & Caphura agitentur suauiter, pistillo ad latera commoto, vel ducto, vsquequo comminuantur. Nonnulli inungunt mortarium, atque pistillum oleo amygdalino, paucissimo tamen, antequam Ambram conterant, vel cum aliquo arido, ut Saccharo. Placidè quoque non percutiendo, gūmi, & resinæ quædam priùs optimè exsiccatae, ne in vnum coeant. Quædam verò in pollinem minimè reduci possunt, sed vino læuigantur, ut Opiū, Acacia, & succus dulcis radiculae, dummodo natura, & forma totius Pharmaci hoc admittat.

Varia usu veniunt Instrumenta, quibus medicamentorum fit attritus, atque perficitur: sunt hæc Pilæ, vel Mortaria, Pistilli, seu Vectes, & tandem Incernicula, quorum interuentu cognoscuntur triturabilia esse peroptimè trita, & secreta, pro eorum

K 2 tamen

Quæ difficilè terantur.

Aromata accuratè terenda.

Gūmi quō terendum.

Instrumenta quib. fit attritus, quæ.

Vectes, &
Mortaria
quæ.

Cribra va-
ria.

tamen natura, ac fine à Medico mente concepto. Sint Pilæ, seu Mortaria ita dura, ne in contundendo aliquid ab ipsis diuellatur, ac disrumpatur, quod posteritati reliquit Gal. 1. de Ant. cap. 15. sic: *Hæc mortarijs Egyptijs imponi debent; durissima enim sunt, itaque minus periculi est, ne pars aliqua inde inter contundendum abrupta medicinis admisceatur.* Haly lib. 10. c. 3. Mortarijs lapideis, siue æreis mundis, atque limatis terere iubet, quæ forrè à nobis ænea dicuntur. Sint pistilli, seu Vectes diligenter mundati, atque deterfi, ne quid rubiginis illis insistat, vt Gal. loco citato. Ex varijs autem possunt confici & Pistilli, & Mortaria, vt ex ferro, ærè, plumbo, & ligno, vt Buxo. At quoniam inæqualia iam trituratione ferè semper existunt, aliæ enim eorum partes magis, & minùs comminutæ conspiciuntur; ideo Cribra, vel Incernicula adinuenta fuerunt, vt cuiuslibet partis iam tritæ eadem esset conditio: quæ tamen Incernicula varia adinueniuntur esse; aliqua enim tenuia, siue arcta, aut spissa; alia tenuissima: quædam crassa, siue rara, & nonnulla crassiora; quibus vtendum pro varijs Medicorum mandatis. At frequentissimè tenue, & tenuissimum cribrum apud ipsos in vfu existit. quod habemus lib. 4. de sanit. tuen. c. 3. quod firmauit Damocrates lib. 2. de Antid. relatore Gal. sic:

Ist hæc contusa subtili excute cribro.

Et lib. 1. vbi de Theriaca:

Contusa, densiq. transmissa cribro.

Et Haly. 10. Pract. cap. 10. non tantùm multa tenui

nui excutiebat cribro medicamenta, sed subtili panno, per quem exagitatum leuissima puluis, ac subtilissima foras egrederetur. Sic & cap. 22. ubi sic Thutiam, Margaritas, & Cancros excernere iubet. Sed quoniam non raro, dum in mortario triturbabilia comminuuntur, & per cribrum iam tusa traiciuntur, subtilior pars, atque excellentior in auras se dissoluit, & dissipatur; ideo omni industria est evitandum, ne hoc accadat. Modum hoc effugiendi nos docet Crito 2. de Ant. cap. 18. dum de Scylla, his verbis, ut Gal. quod ad contundenda verò medicamenta, pertinet, accuratè singula docuit: *nam Mortario pellem obstrictè circumligandam praecepit, atque ita in medio perforatam, ut per id foramen non modo Rutabulum, vel Pistillum imponere possis; sed etiam eo sublato manum quoque, & cochlear immittere, quò per tale contusa, & quæ cribrando sunt, eximi queant. Rursus quoque alia pelle opus fore ducit, quæ angustius foramen adhuc habeat, ut per ipsum Tudicula solummodò demitti possit ad contundenda ea, quæ in mortario fuerint; hancq. priori superimponendā dicit, nec prius adimendam, quàm excitatus inter contundendum pulvisculus subsideat. Eodem modo quoque, cum per cribrum contusa transmittemus desuper contegere quæ excutimus nos admonet, nec ea prius aperienda, quàm cribrò mouere pridem desinerimus, deq. sublato cribro, quidquid inhaesit, penna deducere. Admirantur Seplasiarij recentiores summam diligentiam Antiquorum in his omnibus agendis, depositaq. solita arrogantia fateantur humili fronte omnia, quæ ad hæc pertinent, ab ipsis illos didicisse.*

Panno excutiebat multa Haly.

Mortariū quale ne dissipetur medicamentū.

Arrogantia Seplasiariorum.

Hæc

Hæc à me narrata ad Priscorum mentem à Pharmacopœis seruanda veniunt circa simplicium medicamentorum, & interdum compositorum Triturationem; inter quæ, cùm aliqua adinueniantur ordinem interturbantia Triturandi, vt, exempli gratia, flores quidam, qui difficilè comminuuntur, vel radices, quæ faciliè; vnde illi non cum floribus, nec illæ cum radicibus, triturandæ existunt, sed potiùs tempore, quo semina, & illi, quo radices. In medium talia afferam paucis tamen verbis.

Quæ lōgā,
aut debilē
requirāt tri-
turationē.

Et priùs quædam, quæ longam sustinent triturationem, aut mediocrem, aut debilem: vt Rhabarbarum optimum perfectam, at rarum paucam triturationem: longam Centaurium, Colocynthis: mediocrem Thymus, Hyssopus, Asarum, Iris, & Agaricus: paucam Scammonium. hæc Mes. proprijs capit.

Inter Flores qui non faciliè teruntur; vnde ferè in principio cum radicibus ponendi, est flos Schenanthos, Stechade, Origani, Anthemidis, idest Camæmillæ, Violarum, Matricariæ, & Hyperici.

Inter Herbas difficilè, Cauda equina, Absinthiū, Anethum, Marrubium, Carduus Sanctus, Fumaria, Polygonum, Folia Myrti, Sabinæ, Capilli Veneris, nisi à cauliculis illis separentur.

Facilè inter Radices Angelica tenuis, Meum, Spica Celtica, Hermodactyli, Turpethum, Pentaphillum, & Mechoaca.

De